



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

3. An sit aliqui qui nec praescribere possint, nec aduersus eos currat
praescriptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

tum ex ratione petum nego, antiquum Dominum veram ius agendi habere: solum enim habet ius apparet, siquidem exceptione petemptoria repellitur.

§. III.

An sint aliqui, qui nec prescribere possint, nec aduersus eos curat prescriptio?

- 1 Quilibet sane mentis prescribere potest.
- 2 Sertus quatenus seruus non potest prescribere.
- 3 Aduersus personam, quibus suorum bonorum alienatio interdita est non curat prescriptio.

Regula generalis est quemlibet sane mentis prescribere potest, tamen minor, aut pupillus sit, quia nullibi inuenitur exceptus, & voluntatem habere potest acquirendi, & colligitur ex leg. sequitur. §. pupillus ff. de usucapionib. Qui vero libertate destitutus est incipere prescriptionem nequit: quia animo acquirendi caret; si tamen tempore sanæ mentis incepta prescriptio fuit vel ab ipso, vel ab eo cui successit, continuare prescriptionem poterit; quia prelatum in priori voluntate permittit, argum. leg. sequitur. §. furiosus ff. leg. iust. §. cum qui ff. de usucapionib. Et leg. si quis animo ff. de acquirenda possess. ff. leg. regia 2. tit. 9. par. 3. & ibi Gregor. Lopez.

Sertus vero quatenus seruus est prescribere nihil potest; non enim æquum est externorum bonorum possessionem, & dominium concedere ei qui sui possessionem non habet: colligiturque ex dicta leg. sequitur. §. seruus ff. de usucapionib. & habetur leg. regia 3. tit. 29. par. 3. & ibi Gregor. Lopez.

Personæ vero aduersus quas non curat prescriptio sunt omnes illæ, quibus suorum bonorum alienatio interdita est. Quippe prescriptio est legalis alienatio, non agit rationi consentaneum est ut quod vna via conceditur, alia destruat. Sed hoc intelligi debet per se loquendo, eo quod presumatur mala fides in eo, qui rem acceptat ab eo qui eam alienare non potuit. At postea bona fide in accipiente prescribi possunt non quidem tempore ordinario ob malam fidem alienantis, sed extraordinario videlicet triennio, vel quadriennio. Ut dicitur leg. vii. Cod. communia de legatis. At si hæc bona prohibita alienari haberes ab aliquo tertio, qui bona fide tibi concessisset prescribere eam posses tempore ordinario. Itemque si prescriptionem inceptis, antequam hac prohibitione affecta essent. Ut bene notauit Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 15 & dicemus latius infra.

Deinde aduersus filiumfamilias dum est in potestate patris, aduersus minorem, aduersus prodigum nulla inchoari potest prescriptio, bene tamen continuari, si antea incepta fuit. leg. bona fidei ff. de acquirendo rerum dominio leg. sicut in rem. Cod. de prescrip. 30. vel. 40. annor. & pluribus exornat Gregor. Lopez. leg. penult. iii. fin. par. 6.

§. IV.

Expenduntur condiciones prescriptioni necessariæ requiritæ, specialiter prima conditio.

- 1 Quæ sint condiciones prescriptioni requiritæ?
- 2 Possessio non solum naturalis, sed civilis prescriptioni requiritæ est.
- 3 Nequis inchoari prescriptio cum prius Dominus possessionem retinet.
- 4 Colonus, conductor, commodatarius &c. prescribere nequeunt.
- 5 Item nec tutor, nec curator.
- 6 Item incapaces possidendi.
- 7 Qualiter possessio probetur.

Condiciones ad prescriptionem requiritæ quatuor committuntur à Doctoribus enumerantur. Possessio, Bona fides, titulus probabiliter presumptus, continuatio possessionis cum predicto titulo, & bona fide per tempus à lege prescriptum.

Quoad primam conditionem atinet, quæ est possessio, omnibus competentem est sine possessione non dari prescriptionem. Ut habetur leg. sine possessione de R. gulo iura lib. 6. ff. leg. fin. ff. de usucapionibus. Oportet autem ut hæc possessio civilis sit & iuridica, nec enim sola naturalis sufficit. Ut ex communi docet Abbas. c. causam. n. 8. d. prescriptio. Couarruu. ad reg. possessor. l. p. in. v. n. 7. non tamen est necessarium, ut reali apprehensione acquiratur. Satis enim est si fictione iuris, aliquo actu, apprehensio æquivalenti comparatur. Ut pluribus comprobatur Molina. tract. 2. disp. 3. c. 13. Couarruu. ad reg. possessor. 2. p. §. 1. n. 1.

Hinc est ut prescribitionem inchoare non posse interim dum prius Dominus civilem possessionem non amittit, tamen

rem naturaliter possideas. Non enim ex eo quod ignorante domino eius bona vendita tibi sunt à fure, tu inchoare prescriptionem potes, tamen bonæ fide, & cum titulo probabiliter possideas, quia ea possessio naturalis est non civilis, hæc enim apud prius Dominum permanet, dum ipse ignarus est rem suam tibi translata esse ab eo autem puncto, quo id cognoscit, neque curat à te auferre, quia credit non prescribiturum, vel id incertans repulsius est, incipis civiliter possidere iuxta. leg. cum possidere §. qui ad nudum ff. de acquirenda possess. Extradum et omnium sententia Couarruu. ad reg. possessor. l. p. §. v. n. 7. Molina. disp. 62. Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 2. n. 7. Paul. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 1. cap. 8. n. 5.

Ob eandem rationem neque colonus, conductor, commodatarius, pigoratarius, & alij similes prescribere possunt rem conductam, commodatam, & in pigoris acceptam. Ut dicitur leg. male agitur. Cod. de prescrip. 30. vel. 40. annor. c. cap. Clerici. 16. q. 4. & ibi Glossa verbo, ius proprium. Synt. verbo, prescriptio. 2. n. 20. Molina. Lessius Layman. lect. c. 1. Et ratio est manifesta, quia ipsi non possident, sed possident proprietarius per ipsos. Unde si ipse conficio proprietario rem conductam pigoratam, commodatam tibi vendam, in eam bonâ fide processeris, non potes prescriptionem illius inchoare, quousque proprietarius sciat tibi esse rem traditam, recipere omittat; quia interim suæ rei civilem possessionem retinet.

Ex eodem principio nequit tutor, curator, procurator, seruus, & filiusfamilias in ijs, quæ Dominus, & patris acquirere aliquid sibi prescribere, quia non possident nomine proprio, sed alieno. Et idem est de Emphyteuta; feudatario, Viaticatario quoad dominium proprietatis. Secus vero quoad vitæ dominium, vel usufructum; hunc enim valent prescribere, quia nomine proprio possident, & docent præcitatæ Lociõnes.

Denique incapaces possidendi eo ipso prescribendi incapaces existunt, quia possessio est vnicæ via obtinendi prescriptionem. Quâ ratione nequeunt laici res sacras, & Ecclesiasticas vilo inquam tempore, nomine proprio prescribere, quia nequeunt eas possidere. cap. Sacrosancta cap. de ff. n. de iustitia cap. Laici. cap. post. Laicos. ff. alij. 16. q. 7. Non enim Laici Clericos, eorumque bona iurisdictionem prescribere possunt, neque item ius exigendi decimas, sicut Clerici competent. Vt habetur cap. causam de prescrip. quia horum possessio es interdicitur. Sed quia ex privilegio summi Pontificis capax fieri possunt tum excedendi in Clericos iurisdictionem, tum exigendi decimas, ex eodem privilegio capaces esse possunt prædicta prescribendi. Quocirca laici, qui prædicta possident et tempore legitimo præsumunt probabiliter titulum à Sede Apostolica sibi esse concessum, absque dubio prescriberent. At si huiusmodi titulum non præsumunt, tamen à tempore immemoriali possident, nunquam prescriptionem obtinere possent, quia esset possessio inhabilis, illegitima, & à iure reprobata, & ex mala fide nequit ergo prescriptionem inducere. Ut recte notauit in præfati Layman. dicto lib. 3. sect. 5. tract. 1. cap. 8. n. 7.

Superest dicendum qualiter hæc possessio probetur? Etenim, uter respondeo, si probes te antiquitus possidisse satis est, ut presumaris de presenti possidere. Ut docent Bart. in leg. possidetis Cod. de probatorib. Abbas. in cap. accidentibus de privilegii, ff. cap. cum ad sedem de restitu. spoliat. Et probetur ex eo quod à possessione semel habita cadere nequeas nisi animo possidendi mutaueris; at hæc mutatio non præsumitur. cap. Matres. §. ult. de baptismo. ff. leg. Sancimus. Cod. de iustitia. Debes tamen allegare te de presenti possidere, ut dicte presumptio locus sit, quia presumptio iuris consistens in actu proprio allegati debet. leg. si adulterium cum in ius. §. cum Pollioni ff. de adulteris. Ut recte tradit Couarruu. ad reg. possessor. 2. p. §. 1. n. 1. Deinde ex eo quod probes te antiquitus possidisse, & de presenti possidere, præsumis incrementum tempore possessionem continuasse. Ut tradit Glossa. in c. Cum Ecclesia de causâ possessor. ff. proprietatis. Abbas cap. Cum ad sedem de restitu. spoliat. Couarruu. dicta reg. possessor. 2. §. n. 1. Et colligitur ex cap. preserea c. 2. de transactio. c. l. certum §. 1. ff. de confessis. Verum hoc intelligendum est cum, quo civilis possessio per decennium probanda sit; nam si vitæ decennium sit probanda, & naturalis possessio amissa fuerit, oportet initium cuiuslibet decennij probare, quia annuus continuande possessionis rei non retentæ non presumitur progressu vitæ decennium. Ut colligitur ex leg. parage ff. de acquirenda possessione. Et pluribus relatis tradit Couarruu. loco citato. n. 3. tamen præfati Andreas Aiciat. de prescrip. p. reg. 2. presump. 22. contrarium sentiat. Adiditque Couarruu. prædictam probationem sufficere in eo, qui rem spoliatam sit concepit esse restituendum, per interdictionem in eum, ff. vii possidendi, de quo alibi.